Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



et orem. Et assumpto petro ⁊ duobus filiis ⁊ zebedei cepit contristari et mestus esse. Tunc ait illis. Tristis est anima mea usq; ad mortem. Sustinete hic ⁊ vigilate mecum. Et procedens pusillum prostratus in faciem suam orans ⁊ dicens Pater mi. Si possibile est transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo. sed sicut tu vis. Et venit ad discipulos suos ⁊ invenit eos dormientes. Et dicit petro. Sic non potuistis una hora vigilare mecum. Vigilate ⁊ orate ut non intretis intemptacionem. Spiritus quidem promptus est caro autem infirma. Iterum secundo abiit ⁊ oravit dicens. Pater mi si non potest hic calix transire nisi bibam illum fiat voluntas tua. Et venit iterum et invenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum gravati. Et relictis illis iterum abiit ⁊ oravit tertio eundem sermonem dicens. Tunc venit ad discipulos suos ⁊ dicit illis. Dormite iam ⁊ requiescite. Ecce appropinquavit hora ⁊ filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus. Ecce appropinquabit qui me tradet. Adhuc ipo loquente ecce iudas unus de duodecim venit ⁊ cum eo turba multa cum gladiis ⁊ fustibus missi a principibus sacerdotum et senioribus populi. Qui autem tradidit eum dedit eis signum dicens. Quemcunq; osculatus fuero ipse est tenete eum. Et confestim accedens ad ihesum dixit. Ave rabbi. Et osculatus est eum. Dixitq; illi ihesus. Amice ad quid venisti. Tunc accesserunt et manus miserunt in ihesum ⁊ tenuerunt eum. Et ecce unus ex his qui erant cum ihesu extendens manum exemit gladium suum ⁊ percussit servum principis sacerdotum ⁊ amputavit auriculam eius. Tunc ait illi ihesus. Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt an putas quia non possum rogare patrem meum ⁊ exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum. Quomodo ergo implebuntur scripture. Quia sic oportet fieri. In illa hora dixit ihesus turbis. Tamquam ad latronem existis cum gladiis ⁊ fustibus comprehendere me. Cotidie apud vos eram docens in templo ⁊ non me tenuistis. Hoc autem totum factum est ut adimplentur scripture prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. At illi tenentes ihesum duxerunt ad caypham principem sacerdotum ubi scribe et pharisei convenerant ⁊ seniores. Petrus autem sequebatur eum alonge usq; in atrium principis sacerdotum. Et introgressus intro sedebat cum ministris ut videret finem. Principes autem sacerdotum et omne concilium querebant falsum testimonium contra ihesum.